





1764, 10.

No: 4236

S P E C I M E N

C O N T I N E N S

C A P V T   I V R I S   C O N T R O V E R S V M  
D E

C L A V S V L A   T E S T A M E N T A R I A  
N E A T E S T A T O R I S   V O L V N T A T E  
R E C E D A N T   H E R E D E S

Q V O D

I L L V S T R I S   I C T O R V M   O R D I N I S   G R A T I A

P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O   H E N R.   B R E V N I N G

P R O F E S S O R.   P U B L I C.   O R D I N.   I V R.   N A T.   E T   G E N T.  
E T   S O C I E T A T.   L I T E R.   D V I S B V R G.   S O C I O

I N   A V D I T O R I O   P E T R I N O

D I E   V.   D E C E M B R.   A N N O   C I C I O C C L X I V.

D E F E N D E T

C H R I S T I A N V S   A V G V S T V S   F E H R E

B V R G S T A D.   M I S N I C.

---

L I P S I A E

E X   O F F I C I N A   L A N G E N H E M I A.

CHRISTIANUS HENRICI HERMANNI  
CIVILISATIONIS ET STAMNATIA  
IN ACADEMIA VORONINA  
THESES  
HABITAE  
ANNO MDCCLXV  
PRAESENTIA  
D. CHRISTIANO HENRICI HERMANNI  
TITULI PROFESSORIS CHINICARUM  
ET CIVILISATIONIS  
ACADEMIA VORONINA  
DETINENTIS  
CHRISTIANUS HENRICI HERMANNI

PRAEFACTA  
ACADEMIA VORONINA

DE  
CLAVSULA TESTAMENTARIA  
NE A TESTATORIS VOLVNTATE  
RECEDANT HERIDES.

§. I.

**S**ane mirandum non est, Romanos *testamentorum* *conseruandorum* studiosissimos fuisse, cum Decemvirii sua iam aetate testamento legis vim dederint; **PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT**, **ITA IVS ESTO**. Patet illud studium vel ex eo, quod variis legibus heredi cupiditatem excitauerint. Neque enim primum *Furiae*, post *Voconiae* tandem *Falcidiae* imo SCtorum *Trebelliani* atque *Pegasiani* alia intentio fuit, quam ut morientium voluntates sanctas esse vellent atque legis auctoritatem, quam habebant, conseruant. Quae enim esset illa lex, cuius obligatio in illius cui data erat, arbitrio posita esset? At vero *testamentum* erat *lex*. Et ipse Praetor eandem saepius videtur habuisse intentionem, ut testamenta conseruaret suo edicto. Testatur id edictum: *Si quis omessa testamenti causa caet, et ipse VLPIANVS in L. I. π. si quis omiff. caus. test. Praetor, inquit, voluntates defunctorum tuetur et eorum calliditati occurrit, qui omessa causa testamenti, ab intestato hereditatem partemue eius possident ad hoc, ut eos circumueniant, quibus quid ex iudicio defundi deberi potuit, caet.*

\* 2

§. II



## §. II.

Quo maior vero cura fuit legum in testamentis conservandis, eo studiosiores etiam fuere ipsi ciues romani agere in fraudem legum atque efficere, ut testamenta infirmarentur. Quis est, qui dubitet fraudes Romanorum peperisse post Furiam et Voconiam Leges demum Falcidiā. Pariter Praetor edictū, *si quis omīssā causa testamenti ideo proposuit, vt fraudibus eorum obuiam iret, qui de euentu vltima testatoris voluntate essent solliciti.* Non ergo mirandum, si et Icti variis inuentis formulis ac cautionibus testamentis perpetuum valorem conciliare studerent, imo et interdum ipsi testatores summarum curam adhiberent, ut suis testamentis efficacissimam obligationem pararent. Huius generis curam videtur habuisse testator, cuius apud P A V L V M in L. 29. s. 1. π. qui testament. fac. poss. fit mentio. Ita enim scriptum legitur: *Ex his verbis, quae scriptura paterfamilias addidit: Τάυτην τὴν διαθήκην βέλομαι εἶναι πρώτην ἐπὶ πάσῃς ἔξτιας.* Hoc testamentum volo esse ratum quacunque ratione poterit, videri eum voluisse omnimodo valere ea, quae reliquit, etiam si intestatus deceperit, v. ALCIATVM Dispunct. L. II. c. XIX.

## §. III.

Neque videntur populares nostri, qui quidem patrō suo iure ignorabant testamenta, receptis iis cum iure Romano recepto, deposuisse studia vltimarum voluntatum conservandarum; potius et ipsi testatores variis formulis efficere student, ut rata maneant atque perpetua. Is finis est celebratissimae illius medicinae, qua pragmatici omnes prope testamentorum morbos adeo fonticos sanare laborant, scil. Clausulae codicillaris adscriptae testamentis. Non quidem nego vim formulae; at quot sunt effectus, quos tribuunt, quos vero ex saniori Iurisprudentia formula

◆ ◆ ◆

mula illa nunquam habere poterit. Ita sane coniicerem ex L. 7. π. de tēst. milit. Sed frustra disputabitur contra Pragmaticos, qui vsu fori suam comprobatam putant sententiam, quamvis contraria sit ipsis Legibus et interdum juris analogiae.

§. IV.

Mitto hanc clausulam potius aliam dabo, quam in testamentis a testatoribus adscriptam deprehendi. Und will ich, daß ein jeder meiner Erben mit der ihm hinterlassenen Erb-Portion zufrieden seyn solle; mit dem Zusag, daferne einer oder der andere diesen meinem letzten Willen zuwider handeln, oder ihm nicht in allen Punkten und Clauseln erfüllen wolle, ihm seine Erb-Portion genommen, und denen übrigen Erben zwachsen möge. Vel sic: Es sollen auch meine Kinder diesen meinen letzten Willen in allen Punkten und Clauseln halten und erfüllen, und daferne einer oder der andere wider solches handeln, oder wider seine Mit-Erben Klage erregen, oder mein Testament impugniren, oder umzustossen suchen würde, so soll solches Kind vsque ad legitimam enterbet seyn. Videamus iam vtriusque huius clausulae effectus.

§. V.

Rem omnem facile componi posse arbitror, si vel heredum diuersorum, vel vitorum quae testamenta infirmare possunt, rationem habemus. Primum de heredum diuersitate dicamus. Sunt autem vel *sui* vel *extranei*. Quod ad suos attinet, ante omnia notandum, nihil iis amplius deberi legitima. Quod si ergo testator testamento inaequaliter tantum diuiserit hereditatem, neque liberi grauati sint in legitima, dubium non est adita semel hereditate, liberos ad seruandam ultimam voluntatem viique teneri. Sequimur, inanem tunc fore clausulam, neque effectum eam habituram, si in legitima sint grauati, quo



themate non obstante testamento ad supplementum agere poterunt. Sit, patrem testamentum condidisse tempore, quo maiora de suis sperabat bonis; Ordinabat ille, imponebatque heredibus suis varia onera, ita ut saluam nihilo minus iis putaret se reliquise legitimam: eo mortuo confecto inuentario apparebat, oneratos omnino esse heredes, nemo negabit, non obstante clausula ad adimplendum patris ultimam voluntatem non teneri, nisi prius saluam habent legitimam sine onere relinquendam. Ita sane, si se immiscuerint bonis,

### §. VI.

At si heredes sint extranei iisque adierint testamen-  
tum, res paulo aliter se habebit. Sicuti enim in arbitrio  
testatoris positum est, an heredes scribere voluit, ita per-  
misere iura, ut certas conditiones aut modos causasque  
heredis institutioni adscribere potuerit. Quod si factum  
eaque apposita clausula, dubium non est, ni aliud quid ob-  
ster, effectum clausulae adesse. Qui enim hereditatem  
dare, is et adimere recte poterit, vel ut ait C E L S V S L.  
17. π. de adim. vel transf. legat. Nihil prohibet, priorem  
scripturam posteriore corrigerem, commutare, rescindere.  
Sed si heredes omnes vel unus grauatus sit ita, ut Falcidi-  
am vel Trebellianicam saluam non habeat, quaerendum  
merito, an et tunc clausula effectum nanciscatur scil. ut  
tacite Falcidiae aut Trebillianicae detracatio prohibita vi-  
deatur? Unicum thema ponunt, in quo tacitam prohibi-  
tionem admittunt si certa species legata, cuius alienatio extra  
familiam prohibita, ut colligunt ex Nov. CXIX. c. II.  
quod thema extendit M E N C R E N in Theor. et Prax.  
Pandec. L. XXXV. Tit. II. §. 10. Si res certa heredi  
relicta simulque a testatore prohibitio posita, ne quid ul-  
terius quocunque titulo ex hereditate caperet, quae sententia  
iure Electorali Saxonico dubio caret ex D E C. E L E C T.

X L I I I .



**XLIII.** Si vero de nostra clausula sermo incidit, neque Iure Romano neque Saxonico Falcidiae detractionem prohibam esse arbitror. Cum enim Lex Falcidia ad ultimas voluntates conseruandas lata sit, proptereaque perfectum Ius dederit heredi detrahere suo iure Falcidiā, singulare ius erit quod statuit **NOVEL. I. c. 2. s. 2.** prohibitionem *expressam* esse obseruandam. Cum vero singularia iura nunquam extensionem patiantur neque iuri conueniet, ut tacitam prohibitionem statuamus ea quam dedimus supra clausula.

### §. VII.

Sed quid? si nondum adita sit, an effectum habere possit clausula? Vix arbitror, nisi distinctionem faciamus inter suos atque extraneos heredes. Extraneis enim heribus permisum est repudiare hereditatem, neque tunc clausulæ effectus esse poterit. At vero si liberi vel alii, qui ab intestato heredes esse possunt, scripti sint heredes in testamento, aliter sentiendum erit, ob edicti Praetorii rationem: *Si quis omissa causa testamenti ab intestato vel alio modo possideat hereditatem.* Distinguendum tamen erit, si ex eo testamento tertio nihil debeatur neque ea repudiatione hereditatis circumueniatur quisquam, tunc putauerim clausulam effectum amplius non habere, neque contraria est *L. 29. π. qui test. fac. poss.* quippe de legatis et fideicommissis intelligenda, non aequa de reliquis, quae forsitan a testatore in testamento facienda scripta sunt.

### §. VIII.

Alterum est, in quo vis clausulæ respicienda, videlicet, si vitio laboretestamentum, sive quod haud obseruatae sint internæ solennitatis, sive externæ, sive rescindatur quaerela inofficioſi, sive fiat irritum, sive deſtitutum. In deſtituto et irrito res est facilis, quippe corruente toto testamento clausulæ effectus esse nequit, de inoffi-



in officioso supra diximus, addimus: Iustinianeo Iure legata reliquaque testamenti capita seruari: hinc non omnis Clausulae effectus, si quis est, negandus erit. At in hoc quaerendum, si vel nullum vel iniustum sit, an forsan defeluum internarum aut exteriarum solennitatum suppleat: Neque hic vñquam effectus tribuendus erit huic clausulae, quae in se nihil aliud continet quam vel admonitionem vel ademptionem aut exhereditationem conditionatam, et sic iam testamentum omni iure validum supponit.

§. IX.

Tandem si ea clausula testamento inscripta sit, ipsique heredes, cum vel in testamento varia obscure, dubieque scripta, imo variis litibus ob diuisionem ansam praebere possint, velint transactione aliqua inita a dispositionibus testatoris recedere, an huic transactioni obstet clausula iisque vel ad legitimam vel in solidum exhereditati videantur, vt posteriori casu locus sit successioni ab intestato? Rem ita decidendam arbitror: Si heredes extranei pure recedere velint a testamento, frustra esset illa transactio, debent enim ex testamento ius nancisci. At si adierint, videndum, an cuidam praeter heredibus inter se transfigentibus damnum ex transactione inferatur. Si hoc, effectum habebit clausula: Sin solis heredibus legem det transactio in diuisione, cum cuius iuri suo, suum enim ius erit aditione, valide renunciet, dubium non videtur, posse inter se heredes transfigendo diuidere hereditatem, neque intestatam fieri hereditatem, licet unus cohaeredum alteri quid concedat, quod in testamento concessum non fuerat. Si vero sint iidem heredes scripti qui ab intestato, frustra est, de clausulae illius effectu differere.

T A N T V M.



Leipzig, Diss., 1764



f

TAZOL

nur 31. Stck. Bücher verknüpft

VD18





1764, 10.  
No. 236.

S P E C I M E N  
CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVVM  
DE

CLAVSULA TESTAMENTARIA  
NE A TESTATORIS VOLVNTATE  
RECEDANT HEREDES

Q V O D  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO

I N A V D I T O R I O P E T R I N O  
DIE V. DECEMBER. ANNO C I C I C C L X I V .

D E F E N D E T

CHRISTIANVS AVGVSTVS FEHRE  
BVRGSTAD. MISNIC.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.